This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


Gs
32
555

Digitized by Google

2254

Gs 32.555.

Bd. 1874.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Sommerfeld, Otto.

DE SOPH. OEDIP. COLON. STASIMO SECUNDO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARIA UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS SCRIPSIT

OTTO SOMMERFELD

SILESIUS.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

SCHOENHOF & MOELLER
Winter Street 40.
BOSTON
Foreign Books

1873

Digitized by Google

Gs 32.555

1873, Nov. 4.
Gift of
the University
of Rostock
Germany.

Digitized by Google

De Soph. Oed. Col. stasimo secundo dissertatio.

Haud facile inter omnia Sophoclis cantica benigna nobis tradita sorte ullum inveniatur, quod adeo magnas explicandi et artis criticae exercendae praebeat difficultates, quam Oedipi Colonensis stasimon secundum; neque mirandum igitur est, quod, quamquam doctissimi jam viri studium in explicando vel emendando hoc cantico collocaverunt, nihilominus nondum plana sunt omnia, sed iterum iterumque critici manum exigunt et commentatoris non grammaticarum tantum rerum aliarumve verum etiam ad metricam pertinentium. Namque si versuum singulorum quoque spectamus compositionem, quas nullo alio loco leges invenimus, Sophoclem hoc in componendo cantico observasse etiam obiter inspicienti apparet. Itaque antequam de verbis ipsis, quae tradita sunt, explanandis vel emendandis disseram, de metricis rebus paulo accuratius mihi liceat agere.

Quamquam Sophocles logaoedicorum versuum genus maxima in parte coluit canticorum, attamen etiam stropharum dactylicarum epitriticarum usum eum non repudiavisse nonnulla docent exempla, velut Aj. 172 sqq., Trach. 94 sqq. Oed. R. 1086 sqq. all., in quibus leges a Pindaro aliisque lyricis traditas accurate esse observatas facile cognosci potest. Non semper tamen Sophocles legibus illis se adstrinxit: inveniuntur enim nonnullae strophae Oed. R. 863 sqq. 883 sqq. Trach. 633 sqq. 647 sqq. 953 sqq., quae propter frequentem paroemiaci logaoedici, ithyphallici, brevium epitritorum thesium etiam in responsione cum longis usum a stropharum dactylicarum epitriticarum severitate satis longe poëtam reces-

Digitized by Google

sisse optime demonstrant [1]). Aliter res nostris in strophis se habet. Post tres prosodiacos logaoedicos, qui initium faciunt, sequuntur epitriti et bis Adonius cum anacrusi v. 1048 (= 1063) *ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς,* v. 1056 (= 1071) *ἀδμῆτας ἀδελφεὰς,* in quibus quamquam non tantopere offendendum est, attamen mirari debemus, quod versus 1050 (= 1065)

(οὗ πότνιαι) σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη et
(ἁλώσεται·) δεινὸς ὁ προςχώρων Ἄρης

(⏒ ⏗ ⏑ ⏗) ⏗ ⏑ ⏑ ⏑ — ⏗ — ⏑ — glyconeorum primorum haud parum similes ea tamen re ab illis differunt, quod eo loco longam ideoque irrationalem habent syllabam, quo in nullo alio apud Sophoclem versu eam invenimus. Diserte Bergerus [2]) legem glyconeis inesse exemplis probavit, ut irrationalis thesis semper ante ultimam inveniatur arsin. Nihilominus quos protuli versus ex Sophoclis manu profecti esse censendi sunt, quum v. 1055 *Θησέα καὶ τὰς διστόλους* (— ⏑ ⏑ — ⏗ — ⏑ —), etiamsi corruptus putetur, optime respondens antistrophico 1070 *ἄμβασις, οἳ τὰν ἱππίαν,* qui sine dubio est sanus, eandem exhibeat formam. Accedit autem alia res, quae lucem totius cantici naturae affert. Ex versibus 1047. 1052. 1053, quos epitritos esse constat, quum epitritos fere semper cum dactylis conjunctos esse sciamus, summo jure concludere possumus, non sine causa dimetros dactylicos illos, quos in versibus 1048. 1056. 1058 invenimus esse additos. Sunt autem dimetri dactylici prorsus eodem modo formati, quo trimeter alibi plerumque cum epitritis consociatus, cujus in priore pede dactylus semper purus servatur, in altero semper in spondeum contractus est [3]). Qua de causa summo jure Bergerus contendisse mihi videtur, nostrum carmen ipsum quoque in numerum dactylicorum epitriticorum esse recipiendum. Quod si tenebimus, optime totum canticum, quod ad metricam naturam attinet, perspiciemus. Constat autem ex duabus strophis cum antistrophis, quae quamquam a Pindaricis

[1]) Cf. Berger de Soph. versibus logaoed. et epitrit dissertatio Bonnae 1864. p. 50 sqq.
[2]) l. c. p. 9.
[3]) Cf. Rossbach. et Westphal. metric. III. p. 384.

Digitized by Google

discrepant ita, ut pro usitato trimetro dactylico habeant dimetrum, attamen accurate severam longarum epitriti thesium normam retinent. Duae illae strophae et inter se discrepant: altera v. 1044 sqq. dimetrum solum, altera v. 1074 sqq. utramque formam dimetri et trimetri dactylici exhibet[1]). Initium autem in utraque stropha capitur a prosodiacis, quorum in stropha et autistr. ά tres logaoedici praecedunt, de quibus satis expositum inspicias Rossbach. et Westph. metr. l. c. p. 494. Boeckhii metr. Pindar. p. 138. Hermanni elem. doctr. metr. p. 420. 556. Cf. Oed. R 1186. Trach. 647. 953. Antig. 354. Etiam alterae stasimi secundi strophae initium ducunt a prosodiaco, non tamen logaoedico, sed mere anapaestico, cujus contractae sunt theses. Scribendi enim sunt secundum conjecturam mihi quidem probabilem visam, quae invenitur in Rossb. et Westph. metr. III. p. 542 sq. v. 1074: *ἔρδους ' ἢ μέλλους ' ; ὡς* et
v. 1085: *ὦ Ζεῦ πάνταρχε θεῶν.*

Nec sine causa hoc rhythmi genere Sophocles hoc loco usus est, quippe quo chorum, qui spe et opinione Thesei comites recuperandarum virginum causa emissos prosequitur et quamvis aetate provectus plenus audaciae ut pugnae particeps fiat optat, cantu suo vel hominum illorum vel equorum incessum imitantem facere voluit[2]). Ex versibus qui sequuntur vv. 1049 sq. (= 1064 sq.) explicatio, quod ad metricum attinet rationem, difficultates praebet. Recte autem Bergerus[3]) judicavisse videtur, constare eos contendens ex epitrito vel conciso vel catalectico cum anacrusi (⏓ ⏗ ⏑ — vel ⏓ ⏗ ⏑ ⊔), cujus exemplum (verumtamen cum trimetro dactylico catalectico conjunctum) affert Trach. v. 94. *ὃν αἰόλα | νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κτλ.*, et dimetro dactylico cum epitrito catalectico. Ceterorum cantici versuum metrica ratio ex iis quae supra dixi perspicua est[4]).

---

[1]) Ceterum eam dimetri dactylici formam nec Pindaro ipsi inusitatam fuisse, Bergerus exemplis demonstravit, quem conferas l. c. p 49 sq.

[2]) Cf. etiam, quod in Rossb. et Westph. metr. dicitur l. c. p. 534 sq.

[3]) l. c p. 43 sqq.

[4]) Cf. Gleditsch. opusculum „Metrik der sophokl. Strophen" in progr. gymn. reg. Frideric. Guilelm. Berol. 1867 (et 1868).

Digitized by Google

Oedipus molestissima post itinera, quum Antigona filia duce ad Furiarum lucum in Colono pago prope Athenas situm pervenisset fessus et jam finem aerumnosae vitae subesse speraret oraculo fretus, etiam postremis, quas vivus acturus erat, horis, magnis vexatur doloribus Primum enim per Ismenam filiam alteram Thebis advectam de tristissima filiorum Polynicis Eteoclisque dissidia certior fit. Paulo post etiam Creon advenit, qui oraculo accepto „Thebarum salutem ex eo pendere, ut Oedipi corpus vel vivum vel mortuum in potestatem suam redigeretur“, primum quidem blandis verbis misero seni, ut in patriam revertatur, persuadere studet, post, ubi nihil se proficere cognovit, ad minas progreditur neque irritas relinquit eas, sed Oedipi filias per satellites abducit, quin etiam Oedipo ipsi vim illaturum se esse addit, nisi a Theseo, Atheniensium rege, impediretur. Qui tutela jam antea Oedipo promissa postquam sacrorum Neptuno faciendorum causa abiit, nunc altercatione Oedipi et Creontis clamoribusque Antigonae et chori incolas Coloni ad opem ferendam evocantis excitatus advenit compertoque quid factum sit, Creontem cogit, ut ipsum ad eum deducat locum, quo Antigonam Ismenamque occultaverit captivas. Omnes igitur praeter Oedipum chorumque abeunt virgines recuperaturi; chorus autem interea stasimo altero elatus spe rem bene esse eventuram deorum implorat opem, ut victor Theseus ex pugna contra Thebanos instante redeat filiasque patri reddat incolumes.

Quibus ad intelligendum rerum statum praemissis ad singulorum versuum interpretationem vel emendationem progrediar.

Primum chorus optat, ut pugnae adesse sibi liceat itaque v. 1044 sqq. dicit *εἴην ὅθι δαΐων* . . . . . Quibus in versibus verba *ἀνδρῶν δαΐων τάχ' ἐπιστροφαί* a Doederlino falso versa esse mihi videntur per „impetus hostilis“, nam non hostes i. e. Thebani impetum faciunt, sed Thesei satellites in illos. In re militari autem *ἐπιστροφή* „dicitur, quoties exercitus vel cohors conversione facta in hostem fertur“, quod Musgravius exemplo ex Plut. Timol. p. 249, d. *πυκνὰς ἐξ ἐπιστροφῆς ποιεῖσθαι τὰς ἐπελάσεις* firmavit. Quam significationem, quum huic loco bene convenire per se pateat — nam res

Digitized by Google

ita se habet, ut Athenienses Thebanos fugientes adoriri et cogere, ut se convertant atque defendant, dicantur — non est causa, cur verbum optime a Musgravio Hermanno Meineckio[1]) Wundero explicatum cum eo quod Nauckius conjecit *τάχα συστροφαί* permutemus. Neque Elmsleji explicationem, qui *ἐπιστροφή* idem quod *παρουσία* significare censet, probare possum, quum non per inimicos praesentes sed impetu potius Atheniensium in illos proelium moveatur.

Χαλκοβόαν Sophocles Martem appellat, quocum Hermannus Homericum illud *χαλκεόφωνος* *E* 785 comparat, quem ad modum aput Virgilium Aen. VI, 625 est ferrea vox. Haud scio tamen an locus ille Homericus *E* 859 sq. poëtae in animo versatus fuerit. ubi Mars vulneratus adeo alta clamat voce, ut novem vel decem milium virorum clamorem adaequare possit.

Quod ad vocem *Ἄρη* attinet, duo deteriores codices Laur. B et. Vatic. *Ἄρην* habent, optimi codices omnibus in locis *Ἄρη*, Oed. R. 190 etiam *Ἄρεα* poetica diaeresi optime respondentem genitivo *Ἄρεος*, quae unica apud Sophoclem exstat forma. Dativus non usurpatur nisi desinens in syllabam — *ει*, *Ἄρει*.

Venio nunc ad verba *ἢ πρὸς Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς* v. 1047 sq., quae omnium adhuc interpretum crux gravissima fuerunt; nam etsi verba *πρὸς λαμπάσιν ἀκταῖς* per se optime intelligi possunt, nemo usquam qua verba *πρὸς Πυθίαις ἀκταῖς* explicentur rationem firmam ad probandum invenit. Subintelligunt autem fere omnes interpretes verbis *Πυθίαις ἀκταῖς* Oenoen prope Boeotiam sitam, verbis *λαμπάσιν ἀκταῖς* Eleusina Cereris cultu clarissimam, alteram in via sacra ipsa alteram in longius prolata, quae rectissima Athenis Thebas proficiscentibus est. In eo igitur consentiunt, quod Thebanos cum virginibus raptis rectissima tantum via aufugisse opinantur, non perspicientes, quot huic sententiae obstent impedimenta. Nam ut ea de quibus agitur verba mittam, jam ex verbis *ἢ που τὸν ἑφέσπερον κτλ* summo jure colligi potest, poetam ipsum auditores vel lectores eo adducere voluisse, ut Thebanos non rectissima tantum via domum aufugisse crederent. Accedunt alia argumenta sententiam

[1]) Cf. adnotationes.

meam suadentia. In illis quae praecedunt verbis v. 1019 sqq. ὁδοῦ κατάρχειν (scil. προστάσσω σοι) τῆς ἐκεῖ κτλ ..... ἀλλ' ἐξυφηγοῦ Theseus Creontem eo se deducere jubet, ubi armati illius virgines raptas teneant, quod non opus esset, si Theseus sibi persuasum haberet, se Thebanos in rectissima quae Thebas duceret via inventurum; neque vitio vertendum sit raptoribus illis, si quo facilius evadant, deviis utantur itineribus. Nihilominus fere omnes interpretes rectissimam opportunissimamque Thebanis ad effugiendum viam attribuunt. Quod si rectum est, aliud momentum, quo offendatur, exstat. Rectissima illa via una tantum esse potest, via sacra Eleusina primum, inde in Boeotiam ducens[1]). Sed mirandum est, cur duo tantum viae loca a choro designentur, quibus Athenienses in Thebanos incisuros suspicandum sit, quamquam potius in unaquaque viae sacrae parte pro persequentium celeritate concursus fieri poterat. Equidem causam non intelligo, qua adductus illis duobus tantum locis a poeta designatis pugnam committi posse credam. Quod si rectum esset, chorus dicere debuisset „utinam essem, quo illius viae loco Athenienses Martem miscebunt etc.“ Satis multa argumenta attulisse mihi videor, quibus eluceat, complures poetam vias Thebanis ad aufugiendum tribuisse. Perquirendum igitur est, quaenam poeta dixerit loca verbis πρὸς Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς, et utrum unam tantum, an duas fugientibus vias praesto esse voluerit. Proficiscar autem ab iis verbis, quae per se maxime sunt perspicua, πρὸς λαμπάσιν ἀκταῖς. Ex iis quae scholiastes ad hunc locum adnotavit, Eleusina a poeta esse designatam sequitur, nomine a taedis ducto, quarum usum multum fuisse in sacris nocturnis Eleusiniis notum est. Habemus igitur viam, qua effugisse Thebanos suspicari possumus. Ducit autem per vallem montium ab Athenis septentrionem vesperum-

[1]) Obstare quidem videtur, quod Bursian. geogr gr. I. p. 332 sq. aliam viam ab Athenis per Acharnas ét Phylen ducentem rectissimam inter Athenas et Thebas fuisse docuit: qua tamen via Cleontis satellites usos fuisse ad aufugiendum ut putemus nullo adducimur argumento. Restant igitur brevior via sacra per Eleusin, inde Oenoen et Eleutheras ducens (cf. Bursian. l. c. p. 331) et longior Deceleam prope regionem Marathoniam Aphidnas, Sphendalam tangens. Cf. Bursian. l. c. p 335 sq.

Digitized by Google

que versus sitorum Eleusina, inde producta juxta urbem Oenoen in confinio Boeotiae et Atticae sitam Thebas. Certe rectissima praeter illam a Burs. l. c. I. p. 332 commemoratam omnium inter Athenas Thebasque viarum erat.

Progrediar ad verba *πρὸς Πυθίαις ἀκταῖς*, ad quae quod scholiastes inde a *ἢ πρὸς Πυθίαις* ad *ἵδρυται* adnotavit conferas. Dicit igitur poeta locum Apollinis cultu insignem, quem Marathonem esse omnes adhuc interpretes praeter Solgerum, Elmslejum, Meineckium, ut videtur, frustra scholiastes docuit nulla alia de causa, nisi quod illi viri docti Marathonem longius a Thebis abesse Thebanosque ipsos Colono Marathonem primum proficiscentes a domo aberraturos potius quam domum perventuros esse credebant. Substituebant autem Reisigio praecedente alteram Oenoen ad Hippothoontidem tribum pertinentem haud intelligentes scholiastae verba. Quin etiam Dindorfius ex verbis scholiastae perspicue Oenoen ad Marathonem sitam significantibus Oenoen prorsus contrarie ad Boeotiam sitam a scholiasta esse dictam demonstrare voluit et alteri scholiastae ante annotata affirmanti crimini dedit, quod rem parum perspexisset aut alium interpretem in scribendo falsum temere esset secutus. Dicit enim Dindorfius; „Qui si *τὸν ἐν τῷ Μαραθῶνι* scripsit, calami lapsu scripsit, quem bona fide repetiit alterius scholii scriptor, *ὡς ἐπὶ Μαραθῶνα, οὗ τὸ Πύθιον ἵδρυται.* Nam ex adjuncto Philochori loco, quo de Pythiade et Deliade explicatur, quarum illa Oenoa, haec vero Marathone proficisci solebat, luce clarius est scholiastam *βωμὸν τὸν ἐν τῇ Οἰνόῃ* dicere voluisse.“ Simili modo Wolfius [1]) disseruit, sed prorsus falso. Scholiastes enim dilucide Oenoen Marathoniam dicit et verbis Philochori confirmat. Neque pugnantia profert, sed loci explicationem haud spernendam. Quod autem scholiastes alter primum quidem Pythii Apollinis aram Marathone fuisse commemorat, postea autem Philochorum docentem, Oenoae fuisse aram Pythii Apollinis, Marathone vero Delii, affert, alter denique scholiastes repetit, Marathone esse Pythii aram, nemo in errore versatur praeter Dindorfium. Notum enim est, nomine Marathone non solum

[1]) de Soph. scholiorum Laurent. variis lectionibus. Lips. 1843. p. 3.

Digitized by Google

urbem illam ipsam, sed etiam totam tetrapolin urbes Marathonem, Tricorythum, Probalinthum Oenoen continentem a veteribus inde ex Herodoti tempore ad Pausaniam designatam esse[1]). Cujus rei uterque scholiastes certe haud fuit ignarus; itaque Pythii Apollinis aram non in urbe Marathone sed in totius regionis, cui hoc nomen erat, loco aliquo i. e. Oenoae fuisse dicit. Philochorus singulas discernens urbes et accuratius de hac re agens urbem ipsam Marathonem dicit, in qua Delii Apollinis ara exstructa erat.

Intelligi quoque nunc potet, quo jure Sophocles regionem illam *Πύθιαι ἀκταί* nominaverit. Perquirere supersedens, utrum Schoemannus Apollinis cultum illius regionis incolis a Xutho demum esse illatum jure docuerit, an non[2]) attamen Apollinis cultum non solum in illa tetrapoli sed etiam in urbibus vicinis haud procul ab ora maritima sitis, quarum inter alias Thoricum Cephalidarum cultu ornatam, Phlyam, Prasias[3]) commemoro, semper magnopere floruisse constat. Itaque si de Pythia ora dicebatur, unicuique Atheniensium necessario orientale illud Atticae littus, praecipue autem Marathonis tota regio in mente versabatur; scholiastarum autem annotationibus licet multis aliis Sophoclis fabularum locis jure optimo parum aut nihil auctoritatis tribuendum sit, hoc quidem loco rectum illi perspexisse mihi videntur, quod Leakius quoque in descriptione Atticae peritissimus in scholiasta laudavit[4]).

Ex omnibus, quae exposui satis apertum mihi videtur, verbis *Πυθίαις ἀκταῖς* oram maritimam vel regionem Atticae septentrionem orientemque versus sitam, quae Marathon appellabatur a poeta esse significatam,

---

[1]) Cf. W. M. Leakii libelli de demis Atticis in versione Westermanniana p. 75 et Westermanni adnotationem ad hunc libellum 186 p. 65, qui haec disseruit: Mit den Worten *ἐν τῷ Μαραθῶνι* bezeichnen die griechischen Schriftsteller insgesammt von Herodot bis herab auf Pausanias einen jeden Punkt in dem Distrikte und an der Küste der Tetrapolis. Quae suadentur Luciani loco in Icaromenippi c. 18 *Μαραθῶνος τὰ περὶ τὴν Οἰνόην*.

[2]) Cf. de hac re Schoemann. antiquitt. gr. II. p. 399 et libellum anno 1866 ad Academiae Gryphiswald. saecularia quarta celebranda conscriptum.

[3]) Cf. Gerhard. mytholog. gr. I. p. 293

[4]) Cf. l. c p. 147.

Digitized by Google

qua de causa dicendi rationem quam ἀπὸ κοινοῦ vocant haud jure verbis Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς inesse scholiastes docuit, nam uterque locus ad mare vel haud procul a mari situs erat. Neque tamen me fallit, id quod Hermannus aliique rectissime monuerunt, iter per Marathonis regionem, siquidem deviis Thebanos uti voluisse accipiamus, et ipsum fuisse nimis flexuosum, sed si quae equidem ad sententiam meam probandam attuli argumenta, minus alicui probabilia videantur, hoc contenderim, locum nisi aliunde clarior apparuerit lux, pro certo explicari non posse.

In λαμπάς adjectivorum in ας terminatorum instar usurpato etiamsi alibi eodem non inveniatur usu, non erat offendendum, qua de causa Nauckii conjectura non opus est.

Sensus igitur cantici inde ab initio ad v. 1048 hic est: Utinam pugnae adessem, quae sive per viam sacram sive in Marathonis regionem fugientibus cum nostris persequentibus committetur. Qui exinde sequuntur versus explicandi causa ad λαμπάδες ἀκταί additi sunt. Sunt autem haec: οὗ πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη θνατοῖσιν, ὧν καὶ χρυσέα κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε προςπόλων Εὐμολπιδᾶν. In quibus traditum σεμναί Brunckius primus et post eum omnes editores praeter Doederlinum[1]), quum cum v. antistrophico non congrueret in σεμνά mutaverunt. Quam saepe autem menda in Sophoclis codicibus similibus vocabulis vicinis-nam hoc loco σεμναί pro σεμνά praecedente πότνιαι in textum invasit-orta sint, innumerabiles ostendunt loci, velut in eadem fabula v. 320 σημαίνει pro σαίνει sequente in eadem versu σημαίνει, v. 735 τηλικόνδ' pro τηλικόςδ' praecedente ἄνδρα τόνδε, v. 816 τῶνδε pro τοῦδε, quia in superiore versu est τῶνδε, multaque alia exempla, quae enumerare longum est. Πότνιαι θεαί a scholiasta θεσμοφόροι appellatae sunt Ceres et Proserpina; aliis locis μεγάλαι θεαί, quarum ἀρχαῖον στεφάνωμα narcissus est et crocus (Oed. C. v. 683). Quod poeta h. l. de ambabus deabus idem aliis locis[2]) de Proserpina sola Cereris παρθένῳ σεμνῶν μυστηρίων dicit. Ceres et

[1]) Cf. obss. p. 55.
[2]) Frgm. 943.

Digitized by Google

Proserpina igitur Eleusine initia sua reverenda colere dicuntur hominibus i. e. ab hominibus ut Eleusine reverenda initia celebrentur et ipsae student deae. Recte haec verba scholiastes quoque interpretatus est, quem cf. Venio ad verba ὧν .... Εὐμολπιδᾶν quorum perambigua est explicatio. Traditum in codice Laur. A κλη. ης ita ut κληειης fuisse videatur, in κλῄς correctum non habet, quod suspicionem moveat, praesertim quum Trach. v. 1037 κλῇδος inveniatur. Haud aliter, quod posthac traditum invenitur, ἐπιγλώσσᾶ se habet, quod in ἐπιγλώσσᾳ corrigendum esse patet. Cetera in codice menda haud sunt commemoratione digna. Difficile autem est dijudicatu, utrum relativum ὧν ad praecedens πότνιαι an ad σεμνά τέλη an ad θνατοῖσιν sit referendum. Ad πότνιαι rettulerunt Brunckius Reisigius Schneidewinus Nauckius verterunt que „venerandae, quarum etiam aurea clavis in antistitum Eumolpidarum lingua versatur," ad quae rectissime Hermannus monuit, tacendi de arcanis Eleusiniis officium non proprium fuisse Eumolpidarum solorum, sed commune initiatorum omnium. Relato autem ὧν ad τέλη id quod Schneiderus fecit, fere idem sensus, qui antea, exsistit Schneiderus tamen non plane hunc locum intellexisse videtur interpretuns „wozu (i. e. τελῶν) auch der goldene Schlüssel kam auf die Zunge der eingeweihten Eumolpiden, d. i. in welche einzuweihen auch den Eumolpiden vergönnt war." Haec versio multum quidem habet, quo obiter inspicienti commendetur, nam et nonnulli deteriores codices ἐπὶ γλῶσσαν habent, cujus ν errore aliquo in ἐπιγλώσσᾶ codicis Laur. A. excidisse potest. Sed nihil ad totius elocutionis sensum refert, utrum γλώσσᾳ an γλῶσσαν in archetypo fuerit, ea tamen Schneiderus falsus est re, quod κλῄς ἐπὶ γλώσσᾳ ita vertit, ut „os Eumolpidarum clavi illa recludi diceretur, cujus rei etsi exempla attulit Eur. Med. v. 213 πόντου κλῇδα et v. 661 κλῇδα φρενῶν, attamen in Sophoclis fabulis ipsis exemplum contrarium demonstrans invenit Antig. v. 505 εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλῄοι φόβος. Magis etiam quaesita interpretatio a Schneidero proposita mihi videtur, quam quae Sophocli tribuenda sit. Omnium autem explicandi rationum Hermannus unice rectam proposuit, quae quam multum probabilitatis prae se ferat etiam Doederlinus Wunderus Dindorfius Meineckius in-

Digitized by Google

tellexerunt. Referendum enim ess *ὧν* ad *θνατοῖσιν* vir doctus docuit, quod non Eumolpidis solis, sed omnibus initiatis silentium erat impositum; itaque construendum demonstravit *ὧν καὶ ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε χρυσέα κλὴς προςπόλων Εὐμολπιδᾶν* i. e. mortales, quibus antistites Eumolpidae taciturnitatem imponunt. Particula *καὶ* autem h. l. addita ostendit, ea quae sequuntur non definitionis loco, sed pro additamento, quod amplificandi causa adjectum sit, esse habenda. Contra dubitaverim, num Sophocles locutionem proverbii loco habitam *βοῦς ἐπὶ γλώττης*[1]) in mente habuerit. Quod proverbium in eos cadere constat, qui praemio i. e. nummo, in quem bovis effigies impressa erat, sint ad reticendum perducti. Simile usus h. l. in *βέβακε* usurpati exemplum in *πέφευγα* invenitur. Cf. 8 v. 52. 313. 613. 1359. 1684 El. 979 Ant. 67.

De Eumolpidis cf. scholiastae annotationem et quae Heynius satis accurate exposuit ad Apollodor. III, 15, 4.

Tractandus est locus difficillimus atque a viris criticis multifariam vexatus; dico vv. 1054 sqq. sic traditos:

ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν Θησέα καὶ τὰς δι^α στόλους

ἀδμήτας ἀδελφ^ε ὰς αὐτάρκει τάχ' ἐμμίξειν βοᾷ. Ad *ἐγρεμάχαν* a scholiasta adnotatum est: *γρ(άφεται) ὀρειοβάταν, οἱονεὶ τὸν διὰ τῶν ὀρῶν βαίνοντα τῶν προειρημένων χωρίων.* Exstat igitur varia scriptura secundum scholiastam *ὀρειοβάταν*, quam G. Dindorfius scholiastae alteri S ab ipso nominato tribuit nulla idonea causa, ut mihi videtur, quum inter scholia legatur et cum scholio, cui praescripta est, arctissime cohaereat.

Jam primum non intelligitur, quomodo *ὀρειοβάταν* vel *ὀρειβάταν,* quod in aliis invenitur libris, ex *ἐγρεμάχαν* ortum sit, nam quod Reisigius docuit, ob similitudinem summam litterarum permutationem verborum facillimam h. l sumendam esse, optime Hermannus refutavit. Quare factum est, ut modo hanc modo illam lectionem praetulerint homines docti; utrumque nullo pacto dici potest quum propter molestissimam, ut mihi videtur, epithetorum ad *Θησέα,* siquidem ad hunc referenda sunt, accumulationem, tum quia plane a metro abhorrent. Itaque interrogandum est, utrum alterum delendum sit, an utrumque.

---

1) Cf. Aesch. Agam. 36.

Digitized by Google

Dissentiunt valde viri docti de hac re. Plerique tamen ἐγρεμάχαν retinent. Sed aliae praeterea exsistunt difficultates: Sive ἐγρεμάχαν, sive ὀρειοβάταν sive ὀρειβάταν retinetur, versus ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ὀρειοβάταν (sive ἐγρεμάχαν) cum versu antistrophico non congruit. Quod autem ad interpretationem verborum ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν (sive ὀρειοβάταν) Θησέα καὶ τὰς διςτόλους ἀδμῆτας ἀδελφεὰς αὐταρκεῖ τάχ᾽ ἐμμίξειν βοᾷ, perambigua ea est. Primum quidem, quid sibi vult particula καί? Quam si per „et" vertimus verbum ἐμμίξειν intransitive vel passive usurpatum accipiendum est, nam sensus haud alius esse potest atque: „ibi bellatorem Theseum et duas innuptas sorores mox pugnae implicatum iri," quam significationem intransitivam in ἐμμίξειν inesse posse equidem quamquam concedo — nam invenitur ἐπιμίγνυμι apud Thuc. I, 2, 1. I, 13, 3. Xenoph. anab. III, 5, 16. Heliod. V, 33, itemque προςμίγνυμι et apud alios velut Herod. V, 64. VI, 112. Xenoph. Cyrop. V, 4, 46. et apud Soph. Phil. 106 — attamen locus ita servatus, quum metricis repugnet legibus, ferri nequit. Contra si καί per „etiam" vertimus id quod Schneiderus Spengelius[1]) alii fecerunt, nescio, quantum perspicuitati loci subveniatur, quum sorores quoque duae pugnae participes narrentur. Quas difficultates sublaturus Hermannus versum antistrophicum respexit et verba ἐγρεμάχαν et ὀρειβάταν a Sophocle profecta, verba Θησέα καὶ vero ab interpolatore explicandi gratia addita posteaque in textum recepta esse censuit, unde ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ὀρειβάταν | ἐγρεμάχαν τὰς διστόλους κτλ scripsit, Theseum intelligens verbis τὸν ὀρειβάταν ἐγρεμάχαν simul versum antistrophicum, qui in codicibus aeque corruptus videtur esse traditus, ac v. 1054 sq. mutans in πᾶσα δ᾽ ὁρμᾶται χαλῶσ᾽ ἀμπυκτήρια πωλικά, qua in mutatione equidem hoc tantum monuerim, primum me non intelligere, quomodo χαλῶσ᾽ in κατά nullam mea sententia offensionis ansam praebens a librario quodam sit mutatum, deinde πωλικά cum sequenti vocabulo ἄμβασις hiatum efficiens ferri non posse. Aliorum virorum doctorum sententias singulas refellere longum videtur. Hermannum secuti sunt Wunderus, qui tamen in versu antistrophico hiatum

[1]) in Philologi tom XIX. p. 445.

Digitized by Google

κατὰ | ἀμπυκτήρια πώλων ferendum censuit, Wolffius[1]), Paulius[2]). Meineckius scripsit in stropha *ἔνθ' οἶμαι τὸν ὀρειβάταν | Θησέα καὶ τάς διστόλους κτλ.*, in antistropha v. 1068 *πᾶσα δ' ὁρμᾶται χαλᾷτ' ἀμπυκτήρια πωλικά κτλ.* Dindorfius strophae verba ut Meineckius habet, in antistrophae v. 1068 *πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατὰ | ἀμπυκτήρι' — ⏑ ⏑ — ἄμβασις κτλ*, sed mutandum proposuit *Θησέα-καὶ* in *Αἰγεΐδαν τάσ διστόλους κτλ.* Nauckius in stropha *ἔνθ' οἶμαι λεὼν ὀρειβάταν [Θησέα καὶ] τοὺς κτλ.*, in antistropha v. 1068 *πᾶσα δ' ὁρμᾶται χαλῶσ' | ἀμπυκτήρια πώλων* num versus inter se respondeant non curans.

Restat, ut quam equidem loci emendandi optimam habeo rationem, exponam. Primum autem hoc contenderim, omnes in poetarum operibus praecipue in canticis locorum sanandorum conatus aut a metricis rebus proficisci aut non plane iis carere debere. Jam supra demonstravi, versum 1054 sive *ἐγρεμάχαν* (schemate –́ — — ⏑ –́ ⏑ ⏑), sive *ὀρειβάταν*, sive *ὀρειοβάταν* (schematibus — –́ ⏑ ⏑ — ⏑ —, — –́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —) in textum recipitur, nullo modo respondere versui antistrophico, qui traditus est (*πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατ' ἀμ*) v. 1069 *πυκτήρια φάλαρα πώλων*. Bergerus[3]) quidem jam in metrica versus *ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν* (–́ — — ⏑ –́ ⏑ ⏑ —), qui tertium efficit glyconeum, natura offenditur, quum Sophoclem in mediis dactylicis epitriticis, qui inde a versu 1048 usque ad finem strophae 1058 semper eisdem decurrant elementis unum versum logaoedum interposuisse vix cogitari possit. „Nihil enim refert," ipse pergit, „initium carminis ex logaoedicis constare, nam in initio et fine poetas non raro aliis metris uti, jam ex strophis dactylo-epitriticis antiquissimae formae Aj. 172 C. R. 1086 satis elucet; sed mediis strophis sive logaoedica sive alia metra inserere, prorsus contra indolem harum stropharum est." In hac tamen disputatione, vereor, ne vir doctus falsus sit. Nam ut Sophocles, quod Bergerus recte docuit, in primis suis fabulis accurate se ad leges metricas adstrinxerit, quod strophae Aj. 172 sqq. et Oed.

---

[1]) l. c. p. 170.
[2]) in libelli de scholior. Laur. ad Soph. verba restituenda usu p. 52 sq.
[3]) l. c. p. 45.

Digitized by Google

R. 1086 sqq. demonstrant, attamen dubitare ausim, num Sophocles in extrema vitae parte aut jam in ea, qua Euripides quoque fabulas Athenis componeret, et qua alterum poetam, quod alterius proprium praecipue metricis in rebus esset, et ipsum recepisse constat, plane quibusdam metricis licentiis ab Euripide acceptis, qui ut unum tantum exemplum afferam, in stropha dactylica epitritica versum glyconeum hypercatalectum Med. v. 828 *ξάνθαν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι* (schemate ⏒́ — — ⏑ ⏑ ⏒́ ⏑ — —) versibus dactylicis epitriticis inseruit, se abstinuerit. Itaque non dubitarem, quin versum *ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν* (sive *ὀρειβάταν*) reciperem, si prorsus a difficultatibus vacuus esset et cum versu antistrophico congrueret. Quod quum fieri non possit, quin incertissimas proponam conjecturas, videndum est, num v. 1054 medelae praebeat ansam; qua in re Bergerus rectam monstrasse viam videtur. Deleto enim ex v. 1069 *φάλαρα,* quod ex Hesychii (s. v. *ἀμπυκτήρια*:) *τὰ φάλαρα. Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐν Κολωνῷ* interpretamentum esse jam Hermannus cognovit, ipse versus optime quadrat in stropham; verba enim (*ἀμ*) *πυκτήρια πώλων* cum praecedenti versu *πᾶσα δ᾽ ὁρμᾶται κατ᾽ ἀμ* efficiunt duos epitritos cum dimetro dactylico. Deinde recte monet[1]) extremam illam strophae partem mirum in modum similem esse primae partis, nam initio legimus *ἀνδρῶν τάχ᾽ ἐπιστροφαί τὸν χαλκοβόαν Ἄρη μίξουσιν* et sub finem dicitur *Θησέα καὶ τὰς ἀδελφεὰς αὐτάρκει βοᾷ τάχ᾽ ἐμμίξειν.* Redit chorus ad eandem sententiam, a qua profectus est. Omnes autem adhuc emendandi conatus ea de causa perversam praebuerunt interpretationem, quod verba *Θησέα καὶ τὰς διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφεάς* semper pro subjecto habebantur. Non autem subjectum sunt, sed objectum in eo enuntiato, cujus subjectum post verba illa *ἔνθ᾽ οἶμαι* fuisse, praedicatum autem verbo *ἐμμίξειν* contineri equidem arbitror. Jam non difficile est dijudicatu, quid in illo loco a poeta scriptum fuerit dummodo hoc teneamus, in initio strophae de Marte i. e. de pugna jam locutum esse poetam. Itaque et hoc loco aut *Ἄρης* aut epitheton ejus nominis fuerit. Bergerus conjecit *ἔνθ᾽ οἶμαι Ἄρηα* existimans librarios lacunam in v. 1054 post-

[1]) l. c. p. 47.

quam in versum antistrophicum φάλαρα invasit ortam quoquo modo ut sanarent studuisse; ita pro Ἄρηα ejecto ἐγρεμάχαν aut ὀρειβάταν in textum invasisse. Tantum autem abest, ut illa corruptelae causa a Bergero recte investigata sit, ut etiam Ἄρηα nullo modo ferri possit; nunquam enim hanc accusativi formam apud Sophoclem inveniri, sed Ἄρεα aut Ἄρη, supra demonstratum est. Contra equidem ex articulo, qui verbis διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφεάς antecedit, etiam ante vocem Θησέα articulum fuisse concluserim itaque conjecturam proponam non certissimam quidem, sed probabiliorem Bergeri: ἔνθ' οἶμαι Ἄρη τὸν | Θησέα καὶ τὰς κτλ. Jam nunc apparet, quomodo ἐγρεμάχαν et ὀρειβάταν in textum irrepserint. Haud absimile enim veri est librarium aliquem pro Ἄρη τὸν perperam legisse ὀρείταν, alterum deinde explicationis causa ὀρειβάταν et ἐγρεμάχαν in margine adscripsisse. Quorum alterum ἐγρεμάχαν librario alicui probabilius visum in textum irrepserit ejecto et margini adscripto ὀρείταν, quod scholiastes in annotatione mutavit in ὀρειβάταν.

Ita versus 1053 sqq. secundum metricam rationem versui antistrophico optime respondent:

προσπόλων Εὐμολπιδᾶν · ἔνθ' οἶμαι Ἄρη τὸν
Θησέα καὶ τὰς κτλ. Contra v. 1068.
πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατ' ἀμπυκτήρια πώλων
ἄμβασις κτλ.

Liceat, ut rem plene cumulateque perficiam, ceteras quas novi virorum doctorum conjecturas enumerare non tamen singulas refellere studenti.

Pflugkius[1]) conjecit ἔνθ' οἶμαι δορυμάστορ' αἰχμᾷ.
Halmius: ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν | ῥυσόμενον τὰς . . .
Nauckius: ἔνθ' οἶμαι λεὼν ὀρειβάταν.

Θησέα dactylum efficit, quamquam α ex grammaticis legibus productum est. Affert autem exempla correpti α satis multa Matthiaeus[2]) et qui optime de hac re disseruit Porsonius[3]).

Διστόλους, quod nunc in textu legimus, correctum est ex δι^αστόλους in codice Laur. A. neque cum sensu

[1]) in Zimmermanni ann. phil. anni 1836 p. 308.
[2]) in grammatic. gr. I. p. 233 sq.
[3]) ad Hecub. 876.

Digitized by Google

neque cum metro consentienti. *Διστόλοι ἀδελφεαί* autem dictum est pro *δισσῶν ἀδελφεῶν στόλος*, usu poetis haud insolito[1]). Formam *ἀδμῆτας* primus Brunckius pro tradito *ἀδμήτας* a metro prorsus abhorrenti reposuit. Haud male puellis ipsis, quas Mars mox pugnae contra Thebanos immixturus dicitur, epitheton *ἀδμῆτας* (i. e. nunquam antea pugna devictas), quo proprie virginitas earum intelligenda est, poeta tribuit. *Αὐτάρκει βοᾷ* ad verbum vertendum est per „clamore i. e. pugna, quae ipsa sibi sufficit, idonea, qua virgines eripi possint.“ Mire sane id dictum est a poeta, quamobrem Dindorfius *παντταρκεῖ* proposuit haud necessarie; nam cur librario tribuamus, quod poeticae potius licentiae tribuendum est, causam non video.

In v. 1056 *ἀδελφεάς* a compluribus apographis traditum recte Hermannus retinuit contra Elmsleji, quem Dindorfuis Nauckius secuti sunt, *ἀδελφάς* haec disputans: „Formae istae non tantum metro alicubi commodae sunt, sed saepe etiam, ut oratio splendidior fiat, usurpantur. Atqui *ἀδελφός* communis vitae est, *ἀδελφεός* antiqui et poetici sermonis, quare nunquam in trimetris reperitur.“ Ad quae postrema verba confirmanda cf. *ἀδελφεά* Oed. R. v. 160. Oed. C. v. 535., contra *ἀδελφή* in dialogi locis El. v. 461. v. 956. v. 1148. Oed. R. v. 577. Ant. v. 486. Itaque *ἀδελφεάς* retinuerim[2]). *Τούσδ' ἀνὰ χώρους* falso Reisigius explicavit, in strophae fine haec addita esse, quasi prius mente exciderit *ἔνθα*. Haud magis recte quamvis accuratius Wunderus de hac re disseruit verbis: „*τούσδ' ἀνὰ χώρους* i. e. *πρὸς Πυθίαις ἢ λαυπάσιν ἀκταῖς*. Inserviunt igitur haec verba explicationi adverbii *ἔνθα*, quod v. 1054 positum.“ Aliter autem res se habet. Chorus dicit: „Utinam pugnae adessem, quae aut ad Apollinis aut ad Cereris consecrata loca committetur, nam haec duo sola sunt loca omnium in hisce regionibus (*τούσδ' ἀνὰ χώρους*) i. e. per totum urbis Athenarum circuitum, ubi, ni fallor conjectura, pugna inter Athenienses Thebanosque committi potest. Referendum igitur est *ἔνθα* ad *ἢ πρὸς Πυθίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς*, non autem *τούσδ' ἀνὰ χώρους* ad *ἔνθα* et

[1]) Cf. Matthiae. gramm. gr. II. p. 1003 sqq.
[2]) Cf. etiam Seidler. ad Eur. El. 134.

Digitized by Google

ἢ πρὸς Πυϑ. κτλ. Quae explicandi ratio etiam ἀνά praepositione, quae non „in“ sed „per“ significat propterea que nonnisi in notionibus latiorum adhibetur regionum, suadetur. Quod autem post τούσδ' ἀνὰ χώρους libri plenam, ante haec verba autem nullam interpunctionem habent, Hermannus ita mutavit, ut post χώρους virgulam poneret verba τούσδ' ἀνά χώρους a praecedentibus separanda censens, ne inepta evaderet repetitio. Sed minime molesta exsistit repetitio, siquidem mea explicandi loci ratio non perperam est inventa. Huc accedit, quod a verbis ἤ που sqq. manifesto nova oritur sententiarum series, quae cum τούσδ' ἀνὰ χώρους conjungi non sine difficultatibus posse mihi videtur. Neque tamen librorum plenam interpunctionem retinuerim, sed mediam posuerim, quum quae sequuntur, etsi non arcte cum τούσδ' ἀνὰ χώρους conjungenda sunt, tamen non prorsus sejungenda mihi videantur.

Inducitur enim antistropha per ἤπου secundum libros, quod Elmslejus idem quod ἴσως significare putavit. Quam sententiam, quum recte Hermannus refutasset monens iis, quae supra scripta sunt, ἢ πρὸς Πυϑίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς, nunc tertium adjungi ἤ που τὸν ἐφέσπερον, vir doctissimus versione: „Ibi puto mox dimicatum iri: illis in locis, nisi forte occidentem versus aufugerunt“ falsus est. Distinendae autem sunt sententiae per ἤ που divisae, quod mutata post ἤ που verborum constructione demonstratur, simulque conjungendae, nam iis, quae ante enumerata sunt, tertius additur locus, in quem facile effugere potuisse Thebanos suspicatur chorus. Itaque cum Henrico Stephano et Hermanno ἤπου in ἤπου mutaverim, ut sit παραδιαζευκτικὸς σύνδεσμος propter praecedens ἢ πρὸς Πυϑίαις ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς, interpunctionem autem hanc instituerim χώρους· ἤ που κτλ.

Quae posthac sequuntur verba ἤ που .... ἁμίλλαις crux magna fuerunt interpretum, quum, quem locum his verbis designaverit poeta, nec scholiastarum nec recentiorum interpretum annotationibus in clara collocatum sit luce. Tradita autem sunt haec verba: τὸν ἐφέσπερον πέτρας νιφάδος πελῶσ' Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ πώλοισιν, ἢ ῥιμφαρμάτοις φεύγοντες ἁμίλλαις; addito ad ἐφέσπερον a manu secunda: ἐφ' ἕσπερον; et ad πελῶσ' γρ. πελάζουσι, quae utraque scriptura varia viris doctis jure haud digna

videbatur, quae in textum reciperetur. Ceterum scholiastarum cf. annotationes ad v. 1059 sq., quarum praecipue quae in fine dicta sunt, *ὁ δὲ νοῦς ἄρα κτλ.* summo jure dicta esse videntur. Nam etsi singula quidem per se difficillima sint explicatu, hoc tamen constat, eam designare viam, quae occidentalem *τῆς πέτρας νιφάδος* partem stringebat. Itaque primum quidem quaerendum est, quaenam ista *πέτρα νιφάς* fuerit, quam propterea *νιφάς* appellatam esse censeo, non quod perpetua tecta fuerit nive-quod in Attica nullo pacto fieri poterat-sed quia nivis instar fulserit. Jam scholiastes duos montes quos intelligere possimus proposuit, tanquam alterutrum poeta in animo habuerit, *λείαν πέτραν*, quae dicitur, et Aegaleum montem non tamen certa afferens argumenta, quibus aliquis ut idem crederet adduceretur; qua de causa in dubio relinquitur, utrum verum sit, quod scholiastes suspicatus est, necne. Hoc tamen pro certo habendum est, hanc petram non procul ab Oea sive Oeout appellari debet-pago afuisse, qui quo nomine et ubi situs fuerit apud viros doctos non satis constat.

Scholiastes in annotatione ad v. 1061 *Οἴα* nomen fuisse illi pago demonstravit. Reisigius, qui accuratissime de hoc loco egit[1]), ex contrario *Οἴη*, cujus *Οἰᾶτις* dorica esset forma, nomen fuisse pago, qui tribus Oineidos fuisset, et pagum alterum nomine *Οἴα* Pandionidos tribus propterea hoc loco designari non posse, quia, ut jam Hesychius recte animadvertisse videbatur, nimis longe hic locus abesset ab Athenis, contendit. Sed magnopere ea in re vir doctus erravit, nam satis apertum est, Clisthenem, qui circiter anno 509 a. C. novas ex parte leges Atheniensibus statuit, veterem tribuum quattuor ordinem a Solone servatum sustulisse et novas tribus decem numero constituisse, quae non ut antea ex pagis inter se cohaerentibus constarent. Unaquaque vero tribus decem circiter pagos continebat, qui non omnes in eadem terrae parte, sed per totam Atticam disjecti et cum aliarum tribuum pagis erant commixti[2]). Ex quibus, quum sequatur, pagum Oeam, sive *Οἴη* sive *Οἴα* nomen ei fuerit,

---

[1]) in editione p. 136 sqq.

[2]) Cf. Duncker, Geschichte des Alterthums IV[2] p. 453, Schoemann. Griech. Alterthümer I. p. 383.

Digitized by Google

dummodo prope Athenas situs fuerit; et Oeneidos et Pandionidos tribus esse potuisse, haud difficile intellectu est, quam parum Hesychius situm horum locorum doctus fuerit.

Mea autem opinione omnino nihil refert, utrum *Οἴα* an *Οἴη* nomen pago illi fuerit. Duae autem rationes h. l. statui posse videntur: Aut fuit revera prope Athenas sive Colonum pagus cui nomen erat *Οἴα*, unde *Οἰᾶτις* summo jure formatum, aut *Οἴη*, a quo *Οἰᾶτις* dorica ducta forma, aut verbis *Οἰᾶτις νομός* regio pagi, qui nominabatur *Οἶον Κεραμεικόν* tribus Leontidos, quem prope Athenarum occidentalem partem situm fuisse constat, siquidem Leakii tabulae fides est, designatur. Neque offendendum est in forma *Οἰᾶτις* ab *Οἶον* ducenda: haud mirificentione enim ratione *Οἰᾶτις* ab *Οἶον* formatum est, quam *Σικελιῶτις* a *Σικελία*. Et jam O. Muellerus[1]) *Οἰῆτις* (itaque *Οἰᾶτις*) ab *Οἶον* derivandum putavit sed falso ab eo Atticae pago, qui prope Deceleam situs est. Utcunque autem res se habet, pagus, qui verbis *Οἰᾶτις νομός* designatur, occidentem versus ab Athenis vel Colono situs intelligi debet, non ut Leakius putavit, septentrionem versus ad viam sacram[2]), causis jam supra demonstratis. Contra ut *Οἶον Κεραμεικόν* verbis *Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ* intelligi putemus, multae res suadent. Haud absimile enim veri est, Thebanos Colono Athenas effugisse, unde si deviis per occidentalem Atticae partem uti in animo habebant, in Oeum pagum eos deflectere necesse erat. Quod autem verbum *νομός* scholiastes, Hesychius, Eustathius (quos cf.) per „pascuum" vertentes a vocabulo *οἶς* ducunt, Reisigius eos omnes et majore cum probabilitatis specie Meineckius refutavit. Et quamvis verum sit, quod Leakius pascua in montibus fuisse docet, attamen h. l. non pascui significatio in vocabulo *νομός*, sed simplicissima „regionis" tenenda est.

Quibus praemissis ipse verba *τὸν ἐφέσπερον πέτρας νιφάδος* quantum licet, explanabo non tamen singula, quae a viris doctis adhuc prolata a rerum statu abhorrere mihi videntur, accurata disputatione refellere studens. Difficile autem comprobari posse videtur, quod Leakius[3]).

---

[1]) in Ersch. encyclop. VI. p. 225 not. 21.

[2]) Cf. Leakii l. c. p. 149.

[3]) l. c. p. 148 sq.

Digitized by Google

Thriasium campum, Nauckius Geraniam montem subintelligendum proposuit.

Equidem jam supra demonstravisse mihi visus quam probabilis scholiastae explicatio esset, et hoc loco verbis ejus fidem habendam esse puto. Quam profert, λείαν πέτραν, quum ubi sita fuerit, prorsus nihil pro explorato habeamus, praetermittere debeo; de Aegalei montis situ autem dissentiunt viri docti. In occidentali ab Athenis regione a Parnete meridiem et occidentem versus satis longo tractu mons porrigitur, cui Thucyd. II, 19 toti, Herodot. autem (VIII, 90) ex parte meridionali tantum Aegalei nomen fuisse narrat. Propterea Kiepertus quoque totum illum montem in tres partes divisit, quarum meridionali Aegalei, mediae Corydalli, septentrionali autem Poecili nomen attribuit. Contra haec conferas, quae Bursian. geogr. gr. p. 253 docuit: „Der Gesammtname desselben (sc. totius montis, qui a Parnete meridiem et occidentem versus porrigitur) scheint ὁ Αἰγάλεως gewesen zu sein; der südwestlichste Theil wurde, wahrscheinlich im Volksmunde, nach dem an demselben gelegenen Demos auch ὁ Κορυδαλλός genannt, der mittlere Theil, durch welchen die heilige Strasse von Athen nach Eleusis führte, hatte den Namen τὸ Ποικίλον ὄρος. Cf. etiam Kiepert. atl. nov. Helladis tab. V et Statius Theb. XII, 620. Strabo p. 395. Athen. IX, p. 390 A. Diod. IV, 59. Pausan. I, 37, 7. Monendum etiam est, a Leakio viae Athenis ad littoris locum prope extremam Aegalei partem situm, unde homines in Salamina insulam transvehi possent, reliquias haud dissimiles viae sacrae inventas esse commemoratas. Qua via si Thebani trajectum illum assecuti Aegalei extremam partem circumierint atque deinde rursus viam sacram ad littus accedentem petiverint, perfacile Athenienses persecuturos fallere poterant. Itaque hanc viam poetam in animo habuisse, quum diceret τὸν ἑφέσπερον πέτρας νιφάδος πελῶς; existimaverim; nam sive Aegaleus mons, sive λεία πέτρα, sive alius mons verbis πέτρα νιφάς intelligendus est optime haec explicandi ratio cum rerum natura convenire mihi videtur. Quod si autem recte verbis Πυθίαις ἀκταῖς Marathonis regio septentrionem et orientem versus a Colono sita, et verbis λαμπάσιν ἀκταῖς Eleusis in septentrionali et occidentali parte demonstratur, causa

Digitized by Google

cur poeta tertiam viam circum Aegaleum montem, qua Thebanos usos esse suspicaretur chorus, meridiem et occidentem versus situm dixerit, patet: enumerantur enim eae tres ex quattuor regionis partibus, quarum una ab iis, qui Athenas effugere vellent Thebas, sive deviis illi sive recta utebantur, petenda erat. Hoc tamen vix discerni possit, num jure Meineckius verba πέτρας λιχάδος summo ut solet ingenii acumine inventa pro πέτρας νιφάδος in textum recipienda esse censuerit. Aliam haud magis probabilem protulit Musgravius conjecturam πέτρας νιφάδας, qua Cithaeronem montem designari docet fretus Eur. Bacch. v. 660. Hartungius ἐκ νομοῦ proposuit εἰς νομόν, Nauckius pro Οἰάτιδος scribi voluit Οἰνάτιδος.

Forma πελῶσι pro futuro Attico, quod vocant, non pro praesenti saepissime a poetis tragicis comicisque usurpata est. Cf. Aristoph. nub. v. 123. ἐξελῶ Eur. Bacch. v. 1332. Med. v. 326. Soph. Aj. 505 multaque alia exempla quae enumerae longum est [1]). Idem verbum invenitur in Soph. Phil. v. 1150. El. v. 497 al. Quod Nauckius πελῶσ' mutavit in περῶσ' scilicet offendens in accusativo quocum construitur, non opus erat conjectura; πελάζειν cum accusativo conjunctum invenitur in Eur. Androm. v. 1108 καὶ μὴν ὅδ' ἄναξ ἤδη φοράδην Δελφίδος ἐκ γῆς δῶμα πελάζει. Rhes. v. 13 τίνες ἐκ νυκτῶν τὰς ἁμετέρας κοίτας πλάθους; Soph. Oed. R. 1134; similiter Trach. v. 58.

Ad ῥιμφαρμάτοις recte adnotavit Wunderus: „i. e. ἁμίλλαις ἁρμάτων ῥίμφα φευγόντων.“ Frequentissimus enim hic usus est poetarum, quo adjectivum ex duobus vocabulis compositum usurpatur non solum pro genitivo duorum substantivorum, sed etiam pro substantivo cum adjectivo vel participio conjuncto. Sic in Antig. v. 1022 ἀνδρόφθορον αἷμα pro αἷμα ἀνδρῶν φθαρέντων. Cf. etiam Eur. Or. v. 833. v. 1683. Ita ῥιμφάρματοι ἅμιλλαι significant certamina curruum facilium i. e. facile fugientium. Item in Pind. Ol. III, 37 ῥιμφαρμάτου διφρηλασίας invenitur [2]). Notum autem est, Thebas propter currus ibidem inventos Θήβην πλάξιππον in Pind.

---

[1]) Cf. Curtius. gramm. gr. § 263. Matthiae. l. c. I, p. 403.
[2]) Cf. Boeckh. explicatt. ad Pind. p. 140.

Digitized by Google

Ol. VI, 85 atque Thebanos ipsos *εὐαρμάτους*, *χρυσαρμάτους*, *πολυαρμάτους*, jam in Hom. *Δ* 391 *κέντορας ἵππων* appellatos esse.

Quod ad *ἁλώσεται* attinet, variae sunt virorum doctorum explicandi hujus verbi rationes. Alii conjungunt cum *δεινὸς γ' ὁ προσχώρων Ἄρης* ita ut sensus exsistat „deprehendetur quidem terribilis accolarum Mars." Elmslejus post *ἁλώσεται* interpungi quidem sed *ἀγών* suppleri vult, ad quod Reisigius jam monuit, verbum *ἁλίσκεσθαι* eo significatu in re mala, non in bona usurpari. Optimam explicandi rationem Hermannus invenisse mihi videtur, qui ad *ἁλώσεται* magna interpunctione a ceteris verbis sejunctum Creontem supplendum censuit. „Immo in mente habet chorus Creontem, de quo auctore omnium, quae modo contigerunt mala Oedipo, perpetuo recordatur." Si quis autem miretur, quod sententiarum subito interrumpatur nexus, chorum angore perculsum non esse in eo statu ut prorsus secundum leges rhetoricas cogitata sua exprimat, reminiscatur. Quae explicandi ratio etiam Hesychii glossa, quam hinc fluxisse suspicandum est: *ἁλώσεται, ληφθήσεται, καταπολεμηθήσεται* suadetur. Schneidewini versio „es wird ein Fang gethan werden" haud scio, quomodo sensum praebeat.

Quod Triclinius *γέ* post *δεινός* infersit, recte ab omnibus editoribus deletum est.

Restat, ut de loco *πᾶσα δ' ὁρμᾶται κατ' ἀμπυκτήρια πώλων*, de quo jam supra quoad criticam rationem accuratius actum est, nonnulla interpretationis causa addam.

Jam supra commemoravi, Hermannum offensum in *κατά* mutavisse in *χαλῶσ'*, quod Schneidewinus recepit. Secuti autem sunt in mutando Nauckius, qui *καθεῖσ'*, Meineckius, qui *χαλᾶτ'* proposuit. Quarum conjecturarum nullam assensione comprobare possum. Nam quam saepe *κατά* praepositio ratione figurate dicendi, qua rerum conditio intercedens ratioque qua quid fit significatur-circumstantialis quam vocant significatio-a poeticis et prosaicis adhibeatur scriptoribus, nemo est qui ignoret [1]). Itaque *κατ' ἀμπυκτήρια* h. l. vertendum est „pro frenis",

---

[1]) Exempla hujus dicendi rationis attulit Ellendtius in lexico Soph. I¹ p. 926, et Matthiaeus l. c. II, p. 1358.

Digitized by Google

prout per frena fieri potuit i. e. frenis remissis. Suspicatur igitur chorus factum esse id quod supra v. 900 Theseus mandavit *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος*. Neque vero *κατά* pro „ad“ cum Vito Winshemio accipi potest, ut sensus sit „equites ad frena equis injicienda properare“; nam si *πᾶς ἀστράπτει χαλινός*, jam frenati sunt equi.

Quid *ἀμπυκτήρια* sint, optime fortasse qui de hac re disserere potuit Hermannus exposuit, cujus ad hunc locum adnotationem conferas.

Commemorantur a Sophocle duo dii quorum in hac terra florere dicitur cultus, Neptunus *Ἵππιος* et Minerva *Ἱππίας*. Et alii scriptores hujus rei mentionem faciunt, velut Eur. in Phoen. v. 1707 (ed. Matth.) de Neptuni templo *ἱερὸς Κολωνὸς δῶμά θ' ἱππίου θεοῦ* et Thucyd. VIII, 67 *ἔστι δὲ ἱερὸν Ποσειδῶνος ἔξω τῆς πόλεως ἀπέχον σταδίους μάλιστα δέκα*. Minervae ara non memorata est a Sophocle in hac fabula, nisi cui indicata videtur v. 898 *πρὸς τούσδε βωμούς*. De utriusque tamen templo Pausan. I, 30, 4 accurate narrat *δείκνυται δὲ καὶ* (sc. *οὐ πόῤῥω τῆς Ἀκαδημίας*) *χῶρος καλούμενος Κολωνὸς ἵππειος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα · διάφορα μὲν καὶ ταῦτα τῇ Ὁμήρου ποιήσει, λέγουσι δ' οὖν · καὶ βωμὸς Ποσειδῶνος ἱππίου καὶ Ἀθηνᾶς ἱππίας*. Cognomen *ἱππία* unde acceperit Minerva Paus. idem narrat VIII, 47, 2 *ὅτι γινομένης τοῖς θεοῖς πρὸς Γίγαντας μάχης ἐπήλασεν Ἐγκελάδῳ ἵππων τὸ ἅρμα*. Referendum est *οἵ* ad Athenienses et Colonios.

Neptunus jam apud Homerum Rheae filius omnium aquarum antistes jure *πόντιος* appellatur, quia „sentit imperium mare“, et *γαιήοχος* quia ab oceano terra circumdatur. Synizeseos in verbo *Ῥέα* exemplum jam in Hom. O. 187. invenitur Ceterum cf. quae Dindorf. in annotatione ad h. l. affert.

Strophae *β'*. Tradita sunt in v. 1074 a. cod. Laur. A. verba haec: *ἔρδουσιν ἢ μέλλουσιν; ὡς κτλ.*, quibuscum versus antistrophicus quum non congrueret *ἰὼ Ζεῦ πάνταρχε θεῶν*, variis modis viri docti ut medelam afferrent studuerunt. Nonnulli verba tradita in utroque versu servaverunt, alii praeeunte Steinhartio scripserunt *ἔρδουσ'*, Dindorfius: *ἔρδουσιν ἢ μέλλουσ'*; cum transpositione in versu antistrophico *ἰὼ πάνταρχε*

Digitized by Google

θεῶν | παντόπτα Ζεῦ πόροις. Hermannus traditum retinuit translocatione facta in versu antistrophico ὦ Ζεῦ, θεῶν παντάρχετα. Scribendum autem esse ἔρδουσ' ἢ μέλλουσ'; ὡς et in versu antistrophico ὦ Ζεῦ πάνταρχε θεῶν secundum conjecturam in Rossbachii et Westphalii metrica prolatam jam supra demonstravi Quam saepe enim contra rectam rationem ν ἐφελκυστικόν et ι paragogicum a librariis aut omissa aut addita sint, multi ostendunt loci velut Oed. R. 427. 981 ν om. ante βρ. aut v. 1203 Θήβαις pro Θήβαισιν, Ant. v. 847 οἷοισιν pro οἷοις, v. 99 φίλοισι eraso ι, alia[1]).

In quo nullus adhuc vir doctus offensus est προμνᾶται, Nauckius corruptelam perspexisse sibi videbatur. Dixit enim: προμνᾶται ist unrichtig, da die in den Lexika angegebene Bedeutung „ahnen" sonst nicht nachweisbar und nach der Proprietät des Wortes nicht einmal möglich ist" Primum argumentum nullum est, nam verba praecipue in canticis insolita usurpata significatione persaepe invenimus. Non plus valet alterum quod attulit, nam proprie προμνάομαι significat „nuptias conciliare", itaque „rogare, suadere". Qui rogat vel suadet, is etiam praesagit vel sperat, haud frustra se petiturum esse. Etsi μνάομαι et μάομαι aliis locis velut in Trach. v. 1136 commutata sunt, non sequitur, προμνάομαι, quod h. l. optime ferri potest, in προμάομαι esse mutandum. Itaque et nostro loco et v. 1086 conjectura prorsus non est opus.

Versus 1075—1078 in codice Laur. A. ita traditi sunt: προμνᾶται τί μοι | γνώμα τάχ' ἂν δώσειν | τὰν δεινὰ τλᾶσαν, δεινὰ δ' εὑροῦσαν | πρὸς αὐθομαίμων πάθη.

In his Bothius jam pridem αὐθομαίμων syllaba redundante in αὐθαίμων correxit, quum metri causa versu discrepante ab antistrophico τελειῶσαι λόχον, tum autem, quod Reisigius monuit, propter vocis αὐθόμαιμος notionem. Αὐθόμαιμος enim et ὅμαιμος, quod Brunckius conjecit, quod non potest nisi in fraternam consanguinitatem cadere (ut supra v. 335), Creon non erat virginum sed αὔθαιμος vel αὐθαίμων. Reliqua quae tradita sunt verba, jam dudum magnae inter viros doctos dissensionis

[1]) Cf. Wecklinii ars Soph. emendandi Wirceburgi 1869, p. 18.

Digitized by Google

causa fuerunt. Perquiramus igitur, num omnino aliquid in his verbis sit vituperandum. Infinitivus futuri cum *ἂν* quem in *ἂν δώσειν* legimus, suspicionis ansam ipse per se non praebet. Invenitur enim et apud prosaicos et apud poeticos Atticos scriptores. Cf. Ant. v. 390 *σχολῇ ποθ' ἥξειν δεῦρ' ἂν ἐξηύχουν ἐγώ.* Eur. Hel. v. 556 *πικρῶν ἂν οἶμαι γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους.* Thucyd. II, 80 *νομίζοντες, εἰ πρώτην ταύτην λάβοιεν, ῥαδίως ἂν σφίσι τἄλλα προσχωρήσειν.* Plat. Crat. p. 391 A. *δοκῶ μοι ὧδε ἂν μᾶλλον πεισθήσεσθαί σοι.* Contra intelligi non posse videtur, quid enunciati *τάχ' ἂν δώσειν τὰν δεινὰ τλᾶσαν δεινὰ δ' εὑροῦσαν πρὸς αὐθαίμων πάθη* subjectum sit. Quam dubitationem ut tolleret, interpres quidam ignotus haec adnotavit: *τάχα ἐνδώσει φησὶν ὁ Κρέων* et apud alterum interpretem plenius invenitur: *τάχα, φησὶν, ἐνδώσει ὁ Κρέων τὴν τὰ πολλὰ δὲ* (*πολλὰ δεινὰ* Triclinius) *ἀνατλᾶσαν, τὰς παρθένους* (codex *τὴν παρ* omisso commate *τουτέστι τὴν Ἀντιγόνην*) *ἀπὸ τῆς ἑτέρας δηλῶν, ὡς καὶ κατωτέρω τῷ ὁμοίῳ σχήματι χρῆται.* Ad haec jam Turnebus in margine adscripsit *ἄλλ. ἐνδώσειν. ἴσως ἀνδώσειν.* Scholiastes Creontem igitur subjectum subintelligi vult, injuria tamen, quod plurimi virorum doctorum viderunt; nam Creon si subjectum enunciati esset, nullo pacto nomen ejus omitti potuisset, quin oratio tota nimia laboraret obscuritate. Huc accedit, quod de una tantum virgine chorus loquitur, quam difficultatem scholiastes annotatione sua ut tolleret studuit causam afferens mea quidem opinione haud probabilem. Et recentiores viri docti, ut Musgravius, Hellerus, Hermannus, Reiskius patrocinium singularis numeri susceperunt, unam virginem Antigonam magis et observari potuisse choro et curae cordique esse, quacum non solum ut prius conspecta diutius et plura collocutus esset, sed quam etiam indignissime abripi suis vidisset oculis, quum altera Ismena absens rapta tantopere animos commovere non potuisset, judicantes. Cui sententiae multa quidem opponenda sunt. Primum chorus ipse v. 1055 *τὰς διστόλους ἀδμήτας ἀδελφεάς* protulit, deinde et in diverbio[1]) et in chori cantico tam antecedenti quam insequenti plus semel sermo

---

[1]) Cf. vv. 344. 445. 493. 859. 888.

Digitized by Google

est de duabus virginibus, quin ipse dualis distincte exprimitur. Deinde ex Thesei verbis v. 1040 οὐχί παύσομαι πρὶν ἄν σε τῶν σῶν κύριον στήσω τέκνων apparet, non de una filia loqui posse chorum sed de ambabus cogitandum esse Intellexit hanc difficultatem scholiastes, qui annotavit δύναται δὲ καὶ ἑτέρα εἶναι ἡ προσῳδία τᾶν δεινὰ τλασᾶν δεινὰ δ' εὑρουσᾶν πρ. αὐθ. πάθη, neque est, qui nesciat, accentus ab Alexandrinis grammaticis saepissime pro lubitu positos esse. Attamen nonnulli editores Schaefer. Newius. Schneider., quae tradita sunt, retinuerunt subjectum enunciati Creontem subintelligentes. Wolffius[1]) τὰν δεινὰ τλᾶσαν κτλ. i. e. Antigonam subjectum facit atque verti vult „divino (virginem) gravia perpessam graviaque a fratribus expertam mox mala reddituram esse, i. e. raptum Antigonae raptoribus fore damno." Jam supra dixi, me adduci non posse, ut chorum de Antigona sola loqui intelligam. Alii viri docti ut Musgravius Reiskius Hermannus servaverunt τὰν δεινὰ τλᾶσαν κτλ. mutaverunt tamen ἂν δώσειν in ἀνδώσειν sive ἐνδώσειν; sed non sustulisse difficultatem hac mutatione mihi videntur, nam non solum durum est Creontem supplere, is ut sententiae subjectum sit, sed etiam substantivum πάθη ita positum est, ut consulto ab adjectivo δεινὰ separatum esse facile perspiciatur. Reisig. ἂν δώσειν retinuit quidem sed nixus adnotatione scholiastae accentum τὰν in τᾶν κτλ. mutavit. Structuram autem verborum eam esse censet, ut genitivi τᾶν etc. pendeant ex προμνᾶται γνώμα in hyperbati speciem quandam per τάχ' ἂν δώσειν seclusi, ut v. 871 ἄξω βίᾳ, κεἰ μοῦνός εἰμι, τόνδε, καὶ χρόνῳ βραδύς. Sed fallitur vir doctus; exempla enim, quae attulit[2]) ad locum, de quo agitur, minime quadrant. In illis enim conversio non verborum sed totarum est sententiarum, quarum altera alteri, a qua non pendet, inserta est ita, ut si insertam demamus, altera per se recte intelligi possit, velut si in illo exemplo a Reisigio allato elocutionem κεἰ μοῦνός εἰμι καὶ χρόνῳ βραδύς demamus, altera elocutio ἄξω βίᾳ τόνδε incolumis restat. In v. 1076 sq. contra verba τάχ' ἂν δώσειν si revera exempli allati instar elocutioni

[1]) l. c. p. 112.
[2]) in commentationibus criticis p. 331 et 167.

προμνᾶταί τί μοι γρῶμα τᾶν ..... πάθη, a quibus pendent, interposita essent, foedissimam verborum perversionem poetae objurgaremus. Fuerunt quoque qui in *ἂν δώσειν* substantivum, a quo pendeat genitivus *τᾶν δεινὰ τλ.* ..... latere rati contrariam medelae quaerendae viam ingressi sint. In his fuit Nauckius, qui *τύχαν λώω* pro *τάχ' ἂν δώσειν*, Halmius, qui *τάχ' εὔσοιαν*, Wecklinius [1] *ἄμπαυσιν*, L. Petersius [2]) primum *δίκαν δώσειν τᾶν* .... tum autem *τάχ' ἂν χωρεῖν τᾶν* (*χωρεῖν τᾶν* idem quod „recedere a virginibus") conjecit; quos singulos refellere supersedeo hoc unum monens, me non intelligere, quid si revera in *ἂν δώσειν* substantivum lateret, sibi vellet pronomen *τί*.

Jam venio ad conjecturam, siquidem quae ab illo viro docto mutata sunt, eo nomine sunt digna, ab Elmslejo prolatam et a G. Dindorfio Bergkio Meineckio Paulio [3]) assensione comprobatam. Scholiastae annotatione adductus Elmslejus scripsit *τάχ' ἐνδώσειν τᾶν δεινὰ τλασᾶν δεινὰ δ' εὐρουσᾶν πρὸς αὐθαίμων πάθη*, quae et ego in textum recipi voluerim. Non tamen contendo verba ab Elmslejo proposita sine dubio ex Sophoclis manu profecta esse, sed longe eam conjecturam ceteris praestare puto. Neque tamen *ἐνδώσειν* ea de causa recipiendum statuo, quod a scholiasta in margine adscriptum invenitur, sed quod ea significatio, qua Elmslejus adhiberi illud voluit, optime ad sensum quadrare mihi videtur. Non enim cum scholiasta et Musgravio vertendum est per „reddituros" sc. Thebanos, sed per „remissura" sc. mala, eodem sensu, quo corporis animique dolores remittere dicuntur, id est „sedari" aut „decrescere". Elmslejus praeterea annotavit „Quam significationem, ut plerasque alias, communem habent *ἀνιέναι* et *ἐνδιδόναι*. Grammaticus apud Bekkerum p. 405 *ἀνιέντα: ἐνδόντα. ἀνίησιν: ἐνδίδωσιν.* Hoc igitur chorus: *τάχα ἐνδώσει, ἢ ἀνήσει ἢ παύσεται τὰ πάθη τῶν παρθένων τῶν δεινὰ παθουσῶν.*" Etsi *δεινά* et *πάθη* alias conjuncta inveniuntur, velut Oed. C. v. 1297, tamen necesse non est, ut h. l. conjuncta intelligantur; substantivum

---

1) l. c. p. 57.
2) in progr. gymn. Heiligenstadiani Gotting. 1869 p. 22.
3) l. c. p. 57.

πάθη subjectum est totius enunciati, accusativus autem δεινά ex τλασᾶν et παθουσᾶν pendet. Jam restat, ut de opusculo nuper edito Glaseri, qui hac de re multa disseruit conjecturasque proposuit, paulo accuratius agam[1]).

Offensus primum in ea quam Elmslejus verbo ἐνδιδόναι h. l. tribui voluit, significatione „remissura esse" recte profectus est vir doctus a propria notione „dandi in manum" et accurata inquisitione exemplorum in Stephani thesauro[2]) copiosissime congestorum demonstrari contendit, Euripidem, Aristophanem, Thucydidem, a quibus solis inter scriptores optimae aetatis verbum ἐνδιδόναι usurpatum sit, quotiescunque id verbum non cum propria dandi in manum notione adhiberent, translate eo uti cum significatione vel indulgendi vel cedendi vel etiam remissius agendi. Ipse vir doctus autem his verbis ansam praebet, qua ipsius sententia refutetur. Nam non probans eam, quam Elmslejus usurpari voluit notionem intransitivam remittendi hoc tamen animadvertere debebat, non abhorrere verbum ἐνδώσειν ab hoc loco, etiamsi transitiva remissius agendi significatione usurpatum sit, dummodo substantivum πάθη pro persona usu haud insolito adhiberi putemus. Quodsi verum est, propriam dandi notionem ne tum quidem prorsus evanuisse, quum hoc verbum translate ab illis scriptoribus cum significatione cedendi vel remissius agendi usurpetur, qua de causa subjecti cum eo conjuncti locum ubique homines obtinere videantur, nimirum quibus solis dandi facultas recte imputari possit, et haec significatio in hunc locum quadrat, nam optime verti potest „praesagit mihi animus. mala virginum . . . . minus exercitura (sc. eas) esse." Sed causam non intelligo, cur grammatici Bekkeriani annotationem supra commemoratam pro nihilo habeamus. Fallitur vir doctus etiam in eo quod pronomen τὶ ad γνώμα προμνᾶται adjectum haud aliter explicandum censet, nisi ut pro accusativo respectus, qui dicitur, habeatur. Minime vero τὶ accusativus est respectus, sed objecti, cujus ad explicationem accusativus cum infinitivo sequens τάχ' ἐνδώσειν πάθη adjectus est. Prorsus

[1]) Cf. Glaser. quaestt. Soph. particul. prior. in progr. gymnas. Wetzlar. 1870, p. 1–8.
[2]) cur. a G. et L. Dindorf. III. p. 1032–1034.

Digitized by Google

denique ineptum est, quod sententiam particula ὡς introductam antecedenti ἔρδουσιν stabiliendo inservire dicit. Nam non dicit chorus „opinor facturos illos esse aliquid“ sed dubitationem suam exprimi vult „remne gerunt an cunctantur?“ atque interrogationis signum post μέλλουσ' ponendum esse facile quisque perspiciet. Neque ad stabiliendum alterum in praecedenti elocutione momentum, quod num accipiendum sit chorum ipsum dubitare apparet, sententia insequens inservire potest. Itaque equidem valde miror, quod Glaserus Schneidewinum secutus vertere ausus sit: „Remne gerunt an cunctantur? Nam praesagit mihi mens aliquid etc.“ Quod ad viam, quam Glaserus ipse ad locum sanandum ingressus est, attinet, mutari voluit ἂν δώσειν in ἀνδώσει et τάν ..... in τὰ δεινὰ τλάσα δεινὰ δ' εὑρούσα πρὸς αὐθαίμων πάθη puncto posito post γνώμα in v. 1076, ut subjectum enuntiati inde a τάχ' ..... πάθη cum insequenti τελεῖ ...... ἆμαρ conjuncti Theseus sit; et quia subjectum Theseum esse ex enunciato τάχ' ..... πάθη haud clare eluceat, scribi voluit pro τελεῖ τελεῖ Ζεὺς — τελεῖ τι Θησεύς κτλ. quum litterarum ductu commotus, tum quod sibi persuasit, Jovem hic prorsus non suo esse loco. Quas conjecturas, quae paullo accuratius inspicienti integrae relinquendae videantur, multis refellere verbis supersedeo.

Κατ' ἆμαρ in aliquot apographis in unum verbum contractum recte a viris doctis dirimitur. Significare potest vel quotidie et quotidianum vel hodie et hodiernum, quarum ista notio plerumque conjunctum habet adverbium ἀεί velut Philoct. v. 797 ὦ θάνατε, πῶς ἀεὶ καλούμενος οὕτω κατ' ἦμαρ οὐ δύνᾳ μολεῖν ποτέ. Oed. C. v. 682 θάλλει - κατ' ἦμαρ αἰεὶ νάρκισσος aut ex totius enunciati sensu elucet velut Oed. C. v. 1364 ἄλλους ἐπαιτῶ τὸν καθ' ἡμέραν βίον al., altera autem conjunctum habet νῦν velut Oed. C. v. 3 sq. καθ' ἡμέραν τὴν νῦν Aj. v. 801 sq. v. 753, aut omisso νῦν, ubi tamen ea significatio facile ex sententia cognosci potest. Itaque recte Reisigius contra Grotii versionem („Magnus Juppiter in diem nunc hoc nunc aliud gerit): „Id parum magnifice est dictum Jovem non otiose vivere neque esse ex Epicuri beatis. Possit vero sic cogitari, ut perficere magnum quiddam quotidie videatur. At hoc rem, de

Digitized by Google

qua nunc agitur, extenuat: cujus enim rei causa haec proferuntur, ea ipsa quantumvis magna hoc pacto quotidianis rebus annumeraretur. Immo multo elatior sit sententia, si hodie aliquid dicatur inusitatum ac novum fieri, qualia non offerat quovis tempore Juppiter." *Κατ' ἦμαρ* vertendum est per „hodie"

Venio nunc ad locum, in quo quasi campo fere omnes quoad scio recentiores editores et critici artem criticam exercendam putarent. Quae chorus jam supra in initio totius cantici optaverat, ut sibi pugnae participi esse liceret, nunc aliis exprimitur verbis. Traditi autem versus ita sunt: *εἴθ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμ' αὐτῶν δ' ἀγώνων θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.* De quibus hoc tamen notandum est, mirifico omnes codices consentire modo, nisi quod Vatic. pro *ὄμμα* habet *αἷμα* aperte falsum; a scholiastis autem nihil annotatum est, quippe qui nullam difficultatem inesse censerent. Nihilominus multa hoc loco non plane sunt perspicua. Primum quidem dubitari potest, num *αἰθερίας νεφέλας* pendeat a *πελειάς* an a *κύρσαιμι* an absolute sit adhibitum ita, ut locum significet, unde quis prospicit; quam ultimam construendi rationem minime probaverim licet ferri posse concedam. Deinde si *αἰθερίας νεφέλας* cum *κύρσαιμι* conjungimus, quaerendum est, quibuscum verbis construendum sit *αὐτῶν δ' ἀγώνων*, quin etiam *αὐτῶν* ipsum per se quomodo explicetur quaestio satis multum viros doctos jam vexavit. Denique quid significat *θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα*? Non mirabile igitur est, fere unumquodque verbum inde ab *αἰθερίας* ad *ὄμμα* mutatum esse a viris doctis. Conjecturarum quas protulerunt, haud minus XVIII a Cantero, Heathio, Musgravio, Reisigio, Doederlino, Elmslejo, Hermanno, Wundero, Dindorfio, Nauckio, Hartungio, Kunhardtio[1], Struvio[2], Meineckio, Wesselio[3], L. Petersio[4], Wecklinio[5], Gleditschio[6] inveni, quas singulas ex parte summo inventas acumine silentio praeterire mihi liceat, ne fines

[1]) quaestt. Soph. Lubecae 1838, p. 50.
[2]) de dictione Soph. Berol. 1854, p. 28.
[3]) quaestt. Soph in gymn. progr. 1870, p. 12.
[4]) l. c. p. 28
[5]) l. c. p. 78
[6]) l. c p. 31.

Digitized by Google

hujusce opusculi plus aequo extendam. Accedit altera causa, cur singulas virorum doctorum sententias refellere supersedeam. Quamvis enim clarissimi et artis criticae peritissimi viri corruptelam huic loco inesse censuerint, attamen equidem, ut quae maximo consensu omnium codicum, — minoribus qui dicuntur non multum tribuendum est auctoritatis — nobis tradita sunt, conjecturis prolatis reddam probabiliora quam obiter inspicienti appareant adduci non possum; commentatorem non correctorem locus requirere mihi videtur. Nam etsi quae sit verborum constructio aptissima quaerentibus accuratius ut locus perspiciatur necesse est, attamen si ad sententiam spectes, plana sunt omnia. Chorus optans, ut columbae instar in nubem avolare sibi liceat, haec dicit: „utinam columba rapida celerivola aetheriam nubem assequar et quod ad oculum meum attinet, pugnam ipsam adspiciens.“ Primum quidem et αἰθερίας νεφέλας et αὐτῶνδ' ἀγώνων pendent a verbo κύρσαιμι; at diversis modis dicebatur κύρσαιμι νεφέλας et κύρσαιμι ἀγώνων. Alterum proprie alterum minus proprie dictum est, nam nubem columba ipsa assequitur, pugnam e nube inspectans nonnisi oculis. Itaque poeta, ut clarior fieret res, quo posterior locutio discrepabat a priore, adjecit θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα. Non tamen res ita intelligenda est, ut conjungatur κύρσαιμι θεωρήσασα, nam recte Hermannus in priore editione adnotavit, frequens esse junctum cum participio κυρεῖν, rarum κύρειν, unde sequitur θεωρήσασα non grammaticae secundum leges cum verbo κύρσαιμι esse construendum, sed ad κύρσαιμι αὐτῶνδ' ἀγώνων explicandi causa esse additum. Videmus etiam, qua de causa particulam δέ pro copula adhibuerit poeta: ut diversas, quibus chorus nubem una cum certamine assequi velle dicitur, ostenderet rationes. Si αὐτῶν τ' ἀγώνων retinuisset, eodem modo et nubem et certamen assequi velle chorum indicasset, quod fieri nequit. Quaeritur, quanam significatione θεωρήσασα hoc loco usurpatum sit. Const. Matthiaeus, qui de hoc loco diserte egit[1]) etiam de significatione verbi θεωρεῖν in excursu II. ejusdem libelli[2]) recta disseruisse videtur. Propria enim

[1]) in quaestt. Soph. p. 151 sqq.
[2]) p. 168 sqq.

Digitized by Google

hujus verbi notio est: „contemplari, inspectare, intueri,“ hinc „interesse“ imprimis ludis aliisque sollemnibus, cf. Xenoph. anab. I, 2, 16. II, 4, 25 sq. al. Quod autem alii viri docti, imprimis Hermannus in adnotatione ad locum, de quo agitur, editionis prioris, docent, *θεωρεῖν* alias significare *θεωροὺς πέμπειν,* Matthiaeus falsum esse demonstrat. Notum est fuisse morem Graeciae, ut cuique festo publico atque universae graecae nationis communi, ubicunque illud celebraretur, singulae interessent civitates. Quod etsi legatis missis fiebat, qui personam illarum susciperent, tamen totis civitatibus tribuebant Graeci, quod singuli earum nomine faciebant, dicebantque ipsas civitates festum aliquod *θεωρεῖν*. Qua re factum est, ut praegnans fieret vis hujus verbi atque notione proficiscendi adspersa, diceretur *θεωρεῖν εἰς,* quod est *θεωρήσοντα πορεύεσθαι εἰς.* Quodsi autem Hermannus sententiam suam exemplo ex Thucyd. VIII, 10 sumpto *ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίγνετο, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ἐπηγγέλθησαν γὰρ αἱ σπονδαὶ, ἐθεώρουν ἐς αὐτά* comprobare vult, verbis, quae sequuntur, refellitur. Pergit enim Thucyd.: *καὶ ἐπειδὴ ἀνεχώρησαν, παρεσκευάζοντο,* ex quibus spectationem ludorum Isthmiorum Atheniensibus ipsis attribui et omnium trium verborum subjectum Athenienses esse apparet. Itaque et nostro Sophocleo loco *θεωρεῖν* non plus significare videtur, quam „inspectare“. Neque tamen eam, qua Matthiaeus ratione *τοὐμὸν ὄμμα* cum *θεωρήσασα* construendum censet, comprobaverim. Ipse autem hisce utitur verbis: „Quum enim proprie non ipse homo, sed ejus oculi aliquid intueantur, ad subjectum *ἐγώ,* quod latet in *θεωρήσασα κύρσαιμι* (ita enim construi vult Matth.) per appositionem usitatissimam addidit *τοὐμὸν ὄμμα,* cujus beneficio si licuisset, chorus proelium esset intuitus. Hujus *σχήματος καθ᾽ ὅλον καὶ κατὰ μέρος* quod vocant, tam innumerabilia apud Graecos exempla exstant, ut incredibile sit, omnium interpretum Doederlinum solum illud hoc loco vidisse. Vide Matth. grammat. § 389, h. § 421, annotat. 3 § 432, 3. Opportunissimum exemplum est, quod Doederlin. citat ex Aeschyl. Prom. v. 902 *μηδὲ κρεισσόνων θεῶν ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προσδέρκοιτό με.*“

Sed Const. Matth. ipse in iis quae sequuntur, fieri posse concedit, ut haec loci explicandi ratio affectata

Digitized by Google

vocetur et contorta. Quod etiamsi equidem pro certo contendere non ausim, aliam tamen magis mihi placentem proposuerim. Velim enim *τοὐμὸν ὄμμα* pro accusativo respectivo habeatur, qua constructione hoc loco adhibita nemo mirabitur, qui licentiam poeticam haud ignoret. Pauca tantum exempla, quae in hunc locum optime quadrare videntur, afferam. Soph. Phil. v. 1456 *οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθην κρᾶτ᾽ ἐνδόμυχον πληγῇσι νότου.* Eur. Phoen. v. 335 *ὅθεν ἐμάντε λευκόχροα κείρομαι.* Med. v. 1398 *κατθανεῖ — Ἀργοῦς κάρα σὸν λειψάνῳ πεπληγμένος* Hel. v. 1212 *λύπῃ σὰς διέφθαρσαι φρένας* [1]).

Neque in eo viris doctis erat offendendum quod chorus ex viris constans de se dicit *θεωρήσασα*, nam quum Sophoclem omnino viros cum columba conferentem videamus, aegre ferendum non est, eundem poetam feminino uti genere, quod non tam ad chorum quam ad *πελειάς* referendum est. *Ταχύῤῥωστος* a verbo *ῥώεσθαι*, quod Hesychius per *σπουδάζειν* exponit, significat „vehementer moveor, ruo“. Invenitur in Hom. *Λ* 50. *Σ* 411. 417. *Ψ* 367. *Ω* 616. *ψ* 3. Thucyd. II, 2. Optimo igitur jure scholiastam nihil explanandi causa addidisse equidem demonstrasse puto.

Jam transeam ad antistropham *β'*, qua chorus quattuor precatur deos, ut auxiliatores Atheniensibus Coloniisque adstent; de cujus v. 1085 tradito *ἰὼ Ζεῦ πάνταρχε θεῶν* jam supra, ubi de v. 1074 agebatur, dixi.

Primus igitur Juppiter invocatur omnium maximus deorum *πάνταρχος* et *παντόπτης*. Cf. Aristoph. av. v. 1058 sq. *ἤδη μοι τῷ παντόπτᾳ καὶ παντάρχᾳ θνητοὶ πάντες θύσουσ᾽ εὐκταίαις εὐχαῖς.* Soph. El. v. 175 *Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει. Παντόπτης* Juppiter appellatur in Oed. C. v. 703 *ὁ αἰὲν ὁρῶν κύκλος Διός* et in Aeschyl. suppl. v. 139 *τελευτὰς δ᾽ ἐν χρόνῳ πατὴρ ὁ παντόπτας πρευμενεῖς κτίσειε.*

Meineckius pro *παντόπτα* scripsit *παντόπ᾽ ὦ* non sine causa, nam *α* in vocativo singularis nominum in —*της* determinatorum correptum est, sed recte Nauckius vocativum illum a nominativo *παντόπτας*, qui voce *ἀγρευτάν* paulo post insequente suadetur, proficisci monet. Itaque traditum receperim.

---

[1]) Cf. insuper Matthiae. gramm. gr. II. p. 948 sq.

Digitized by Google

Complures interpretes ex exemplis v. 294 *τούσδε τῆσδε γῆς ἄνακτας* et v. 884 *ἰὼ γᾶς πρόμοι*, ubi aperte unus tantum princeps intelligendus est, etiam voce *δαμούχοις* Theseum designari collegerunt. Sed aliter res in *δαμοῦχος* se habet. *Δαμοῦχος* proprie non principem, sed eum qui *δῆμον* tenet significat, qui et princeps ipse terrae et incola esse potest. Itaque etiam nostro loco *δαμούχοις* verti potest et per „principi“ — siquidem exempla supra comparata respicimus — et per „incolis“, quarum notionum utram in mente habuerit poeta, non pro certo explorari potest, nam et Theseus ipse et Athenienses Coloniique, quorum rex erat, pugnae intererant. Jam perspicuum est, vocabuli *δαμοῦχος* significationem „*δῆμον* tenentis“ adeo evanuisse, ut *ἔχειν* verbi tantum „tenere“ notio remanserit, quod ex adjecto *γᾶς τᾶσδε* hoc loco et v. 1348 *τῆσδε δημοῦχος χθονός* cognoscere licet.

Quod v. 1088 traditum est *ἐπινικείῳ σθένει* (in apographis *ἐπινικίῳ*) Hermannus in *σθένει ἐπινικείῳ* transposuit metrica flagitante ratione. Notum autem est, quam saepe inversiones vocabulorum in textu inveniantur velut in El. v. 530 *σὸς οὗτος* pro *οὗτος σός* (Erf.) v. 818 pro *ξύνοικος ἔσομ᾽* (*ἔσσομ* m. rec.) correxit Dawes. *ἔσομαι ξύνοικος*, Oed. R. v. 719 pro *εἰς ἄβατον ὄρος* Musgrav. *ἄβατον εἰς ὄρος* multaque alia exempla[1]) Ceterum *σθένος ἐπινίκειον* nihil aluid est, quam *σθένος τὸ ἐπὶ νίκῃ* ad quod Hermannus affert ex Aesch. Choeph. v. 475 *πέμπετ᾽ ἀρωγὴν παισὶν προφρόνως ἐπὶ νίκῃ*. v. 868. Eumen. v. 1011. Trach. v. 186. *Λόχος* hic non locum, in quo quis insidiandi causa collocatus est, sed actionem insidiandi ipsam i. e. expeditionem, quam Theseus contra Thebanos facturus erat, significat. Per prolepsin adjectum est *τὸν εὔαγρον*, qui usus frequentissimus apud poetas est. Cf. Hom. B. 416 *Ἑκτόρεον δὲ χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι χαλκῷ ῥωγαλέον*. Ξ. 6. al Aeschyl. Ag. v. 1247 *εὔφημον ὦ τάλαινα, κοίμησον στόμα*. Soph. Oed. C. v. 1200 *τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος* Aj. v. 69. 430. El. v. 741. al. Eur. Bacch. v. 1055 *καταῤῥυεῖς μηροὶ καλυπτῆς ἐξέκειντο πιμελῆς*. Rogat igitur chorus Jovem. ut Atheniensibus victrici robore

[1]) Cf Wecklinii l. c. p. 61.

Digitized by Google

expeditionem, quae felix sit in capiendo, efficiat, i. e. ut capiatur is, in quem fiat impetus.

Minerva quae post Jovem invocatur, *σεμνὰ παῖς* appellatur. Jovis enim carissima erat filia, cui ea de causa multa licebat perficere, quae ceteri vetiti erant dii. Sequitur Apollo post Minervam carissimus quem chorus *ἀγρευτάν* vocat, nempe quod Theseo ejusque armatis quasi venantibus auxilio ut veniat imploratur. Suadet hanc interpretationem etiam, quod chorus Dianae sororis non obliviscitur. Apollo non proprie venandi deus ut soror erat, acceperat tamen cognomen *ἀγρευτής* sive *ἀγραῖος* ab interfecto Pythone. Bothius Pausaniae locum commemorat ad hanc rem spectantem I, 41, 4: *Ἀλκάθου μὲν οὖν καὶ τοῦ λέοντος, εἴτε ἐν τῷ Κιθαιρῶνι αὐτὸν εἴτε καὶ ἑτέρωθι ἀποκτείνας ναὸν ἀγροτέρας Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος ἐποίησεν ἀγραίου* (Megaris) *ἐς τοσόνδε ἔστω μνήμη.*

Quae exinde sequuntur, haud difficilia sunt intellectu; *πυκνόστικτος* ornatiore modo est dictum quam in Phil. v. 183 *στικτοὺς ἐλάφους.* Varia autem sunt epitheta Dianae ad venationem spectantia, velut *κυναγός* El. v. 563. *ἐλαφηβόλος* Trach. v. 214 cf. Aj. v. 178. *χρυσηλάκατος* Trach. v. 637. *ἑκήβολος* frg. 357., aut quae *Λύκι' ὄρεα διάσσει* Oed R. v. 208 et *ἀκρουχεῖ* Trach. v. 214. *Στέργω*, cujus propria significatio est „amo, diligo" et quia quod diligimus etiam optamus vel rogamus, ut nobis detur, notionem „amanter precandi" nanciscitur. Optime autem a Brunckio cum latino „amare" comparatur, cujus exempla affert ex Plaut. Menaechm. II, 3, 71: Sed scin' quid te amabo, ut facias. III, 3, 1: Menaechme, amare te ait multum Erotium, ut hoc nunc una opera ad aurificem deferas. Haud bene tamen alii vertisse mihi videntur „auf Euch rechne ich".

Quod traditum est *διπλὰς ἀρωγάς*, apertum est, adjectivum *διπλας* graviore accentu esse signandum. Quod autem scholiastes ad hunc locum adnotavit *διπλᾶς ἀρωγάς: τουτέστι τῇ διπλῇ ἀρωγῇ, ὃ λέγει τῇ πόλει καὶ τοῖς πολίταις*, prorsus ineptum est, nam *διπλῇ ἀρωγῇ* appositionis ad Apollinem Dianamque loco positum esse nemo non videt. Ceterum de diis, quos chorus in antistropha *β'* invocat, nonnulla sunt dicenda. Sophocles

Digitized by Google

Jovem cum carissima filia Minerva et Apollinem cum sorore Diana conjunxit. Frequens autem erat trium numinum conjunctorum invocatio non solum in votis, qualia jam in Hom. *αἲ γὰρ Ζεῦ τε πατὴρ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον*, sed etiam in jurisjurandi formulis compluribus, velut *νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω* (vel *τὸν Ποσειδῶ*) *καὶ τὴν Ἀθηνᾶν.* Nostro autem loco Dianam propter venationem, de qua agitur, adjunctam esse, facile est suspicandum. Cf Oed. R. v. 159 sq.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Gs 32.555
De Soph. Oedip. Colon.
Widener Library 006745294
3 2044 085 169 621

Digitized by Google